AUTHOR: SCHULZEN, HUBERTUS

TITLE: DE BERTOLDI

PLACE: BONNAE

DATE: 1867

Master Negative #

92-80627-16

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

943.023
Z81 Schulzen, Hubert Eugen
De Bertoldi et Bernoldi Chronicis
Bonnae 1867

No 1 of a vol of dissertations

Restrictions on Use:


TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11X

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 8-3-92 INITIALS MT


FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT







AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

German History
Dissertations

DE

BERTOLDI ET BERNOLDI CHRONICIS.

DISSERTATIO HISTORICA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AVCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN ALMA LITTERARVM VNIVERSITATE

FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ET VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XIV MENSIS DECEMBRI A. MDCCCLXVII

PVBLICE DEFENDET

HVBERTVS EVGENIVS SCHVLZEN

RHENANVS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT

HILARIVS WOLFGARTEN CAND. PHIL.
GVILELMVS REVTER CAND. PHIL.
GVILELMVS FINK STVD. THEOL. CATH.

BONNAE

FORMIS CAROLI GEORGI.

Quae de Gregorii VII et Henrici IV temporibus traduntur, ita inter se differunt, ut non parvi negotii sit, quid ad veritatem magis accedat, invenire. Nimirum omnes illius temporis scriptores aut ab Henrici IV aut a Gregorii VII partibus stabant.

Horum in numero scriptorum habendi sunt Bertoldus et Bernoldus, quorum chronica in tom. V. script. edita Pertzius Hermanni Contracti continuationes esse dicit. Hermannus enim usque ad annum 1054, quo anno mortuus est, res narravit et inde chronica Bertoldi et Bernoldi initium capiunt. Bernoldi codicem autographum, qui ab ipso monasterio Scafhusensi traditus nunc in bibliotheca Monacensi servatur a scriptore ipso annis 1091 et 1098 emendatum atque auctum esse Pertzius ratione habita scripturae et atramenti satis dilucide monstravit. Idem notas annorum 676 et 1096 alia manu et annales Scafhusenses circa a. 1119 a scriba quodam Scafhusensi scriptas esse exponit. Unde sequitur omnes codices, qui ab autographo scripti his notis careant ante annum 1119 factos esse.

Quum praeter Bernoldi chronicon integrum plura exstent, quae ex utroque chronico compilata esse videantur Pertzius (script. tom. V) eam viam sequitur, ut textum autographum integrum edat, reliqua, quae in chronicis compilatis inveniuntur, Bertoldi esse existimet.

Urstisius, qui a. 1585 codicem autographum primus edidit, Bertholdum presbyterum Constantiensem auctorem

nominat, quamquam Bernoldum intelligere videatur, quippe cuius textum ediderit. Is enim ut unum tantum chronicon ita unum auctorem cognoverat.

Contra Ussermannus quum a. 1792 Hermanni contracti chronicon atque eius continuationes ederet, post vitam Hermanni res annorum 1054—1066 scriptas tradidit easque primi continuatoris et primam continuationem esse dicit. Idem chronicon ab Urstisio (in tom. I. p. 338) editum Bernoldo tribuitur, quum huius chronici et codicis autographi auctorem eundem esse censeat. Deinde Ussermannus chronicon Bertoldi Constantiensis in tom. II editum alteram Hermanni continuationem appellat. In hac editione non solum chronicon Bernoldi reperitur, verum etiam id quod Pertzius Bertoldi, discipuli Hermanni esse putat.

De his chronicis quum et verborum et sententiarum mira quaedam occurrat concinnitas, multum disputatum est. Quare quid de hac re summae auctoritatis viri senserint ante omnia indagandum est.

I.

Ac Pertzius quidem (in praef. ad Bert. tom. V script.) Bertoldum a. 1076 scribere coepisse et chronico Bernoldi a. 1073 incepto usum esse statuit; quem secutus est Wattenbachius. (Deutschlands Geschichtsquellen im Mittelalter ed. 2a p. 300.)

Stenzelii haec sunt: (fränkische Kaiser II p. 13). „Berthold von Constanz setzte Hermann von Reichenau fort bis zum Jahre 1067, dann Bernold von Constanz bis zum Jahre 1100.“ (II. p. 100): „Hermanns Chronik wurde zuerst von Berthold von Constanz und zwar nicht bis 1066, wie Ussermann glaubte, sondern bis zum Jahre 1079 oder 1080 fortgesetzt, indem Alles, was Ussermann unter dem

Namen des Bernoldus auctior (ab a. 1067—1080) gibt, eigentlich Bertolds Werk ist. Bernold stirbt 1101, kürzte die Chronik Hermanns bis 1054 und Bertolds bis 1080 ab und setzte sie bis 1100 fort. Ich finde nicht, dass Berthold oder Bernold eines ihrer Zeitgenossen Schrift benutzt hätten, was auch um so weniger nöthig war, da sie nur aufzeichneten, was sich eben während ihrer Zeit ereignete.“ Gfroerer (Gregor VII u. sein Zeitalter Bd. VII p. 724 u. 725) Bertoldi qui a. 1080 scribere desierit, aequalem fuisse Bernoldum existimat Alemannum, qui res annorum 1080—1100 conscripserit. Nec quid habet quod accuratius de hac re dicat.

Voigtius (Hildebrand als Papst Gregor VII.) solum Bernoldum cognovisse videtur, quippe quum omnia, quae ex chronicis Bertoldi Constantiensis attulerit, ex autographo Bernoldi sumpta sint.

Restat ut Waitzium proferam, qui sic dicit: (Göttinger gelehrte Anzeigen 1857 III p. 62) „Nur mit zwei Worten andeuten will ich den Zweifel, der mir bleibt, ob das Verhältniss Bertholds und Bernolds durch die Ausgabe der monumenta in das rechte Licht gestellt sei. Pertz nimmt an, einmal, dass Berthold selbst den Bernold benutzte, dann dass die Handschriften, in denen das Werk Bertholds enthalten ist, seinen Text mit dem des Bernold zusammengestellt haben. Da scheint es mir sehr schwer zu sein zu unterscheiden, was den Compilatoren und was dem Auctor angehöre. An eine Benutzung des kurzen Bernold durch den ausführlichen und gleichzeitigen Berthold kann ich auch sonst nicht recht glauben. Eher scheint mir manches für das umgekehrte Verhältniss zu sprechen. Aber die Sache erfordert eine genauere Untersuchung und diese ist sehr schwierig, weil wir den rechten und eigentlichen Berthold gar nicht haben.“

Sed haec res quamvis magnis implicita sit difficulta-

tibus, tamen instituta inter utrumque chronicon comparatione, quid cuique scriptori attribuendum sit, proponere studebimus.

II.

Perlegentibus nobis haec chronica dubium esse non potest, quin, quamquam duo tantum scriptorum nomina proferantur, tres tamen continuationes exstent, quarum prima res usque ad a. 1066 (cont. I) altera usque ad a. 1100 (cont. II), tertia usque ad a. 1080 (cont. III) complectitur. Cuius rei hoc maxime argumentum est, quod usque ad a. 1066 eiusdem rei tres saepe narrationes, quae non multum inter se differunt, reperiantur. Atque ego etsi permultis uti possim exemplis, tamen quae de morte Henrici III et de Nicolao papa dicta sunt, exempla afferre iuvat.

Cont. I: (Usserm. tom. I p. 254) „Henricus imperator domino apostolico ad se tempore autumnali invitato, cum in Saxonia in Bothfeldino commoraretur, morbo ingravescente infirmatus obiit anno aetatis suae 39, regni vero 18, imperii 15, indictione decima. Qui inde asportatus, Nemetumque translatus, in ecclesia sanctae Mariae, quam ipse construxerat, adhuc imperfecta, iuxta patrem matremque sepultus est; et filius eius Henricus IV. septimum aetatis annum habens pro eo regni iura suscipiens, a primoribus matri imperatrici educandus est commendatus.“

Cont. II: (Usserm. tom. II p. 4) „Henricus imperator filium suum iam regem factum principibus regni commendans obiit III non oct. pro quo Henricus filius eius admodum puer cum matre sua Agnete regnare coepit.“

Cont. III: (ibidem) „Imperator domno Apostolico ad se in Germaniam invitato, cum in Saxonia apud Bothfeldin moraretur, morbo ingravescente infirmatus et bona conversione, poenitentia et confessione purissima praemunitus omnibus debitoribus suis ex corde dimisit, et totum,

quod non bene adquisivit et his qui praesentes aderant reddidit, qui autem non aderant, his per imperatricem et filium ut redderetur, nominatim solertissime disposuit: et sic totam spem in deo ponens o utinam! feliciter III non. Oct. obiit anno aetatis suae 39, regni vero 18, imperii autem 10, indictione 10. Qui inde asportatus Nemeti in ecclesia s. Mariae, quam ipse construxerat, adhuc imperfecta iuxta patrem et matrem sepultus est a domno papa. Filius autem eius Heinricus IV iam a patre rex factus, tunc septennis a primoribus regni matri imperatrici ad educandum commendatus cum matre coepit regnare.

Fames multas provincias afflixit.

Heinricus IV filius Heinrici regnat annos 20.“

Cont. I: (Usserm. tom. I p. 254) „Romae Nicolao papa defuncto Romani coronam et alia numera Heinrico regi transmiserunt, cumque pro eligendo summo pontifice interpellaverunt. Qui ad se convocatis omnibus Italiae episcopis, generalique conventu Basileae habito, eadem imposita corona Patricius Romanorum appellatus est. Deinde cum communi consilio omnium Parmensem episcopum summum Romanae ecclesiae elegit pontificem. Interim dum haec aguntur, Anshelmus episcopus de Luca, quibusdam Romanis faventibus, Apostolicam sedem sibi usurpavit.“

Cont. II: (Usserm. tom. II p. 6) „Romae Nicolao papa defuncto VI Kal. Aug. Romani Heinrico regi eiusdem nominis quarto coronam et alia munera mittentes de summi pontificis electione regem interpellaverunt. Qui generali concilio Basileae habito imposita corona a Romanis transmissa patricius Romanorum est appellatus. Deinde communi omnium consilio, Romanorumque legatis eligentibus Chadelo Parmensis episcopus VII Kal. Nov. papa eligitur et Honorius appellatur, papatum nunquam possessurus. Sed vigesimo septimo die ante eius promotionem Lucensis episcopus nomine Anselmus a Nortmannis et quibusdam

Romanis papa 158 ordinatus Alexander vocatur, sedit annos 12 qui satis strenue simoniacam haeresin destruxit, et ministris altaris cum coniugibus coire iuxta canonum statuta cum excommunicatione interdixit, ipsosque laicos clericorum aperte incontinentium officia audire per bannum prohibuit; sicque clericorum incontinentiam satis prudenter refrenavit. Huius autem constitutionis maxime fuit auctor Hildebrandus tunc Romanae ecclesiae archîdiaconus, haereticis maxime infestus.“

Cont. III: (Usserm. tom. II p. 7) „Roma Nicolao .. legatis eligentibus Chadalous Parmensis episcopus VII Kal. Nov. papa multis praemiis quibusdam, ut aiunt, datis simoniace eligitur . . . sedit annos 12. Parmensis vero collecta undecunque grande militia vi destinavit cathedram invadere et ad urbem Romam sic perveniens non permissus est a Romanis intrare, unde magna caedes ibidem peracta est. Et sic non sine victoria cruenta multis Romanis interfectis ad Parmam suam tristis regressus est, solo nomine apostolico sibi usurpato ad finem vitae infeliciter perdurans.

Hic Alexander doctor catholicus satis strenue . . . maxime infestus.“

Eo accedit ut Urstisius rerum annorum 1054—1066 narrationem separatam nec cum ullo alio chronico coniunctam invenerit et integram ediderit. (Urs. tom. I p. 336) Notum est Pertzium hoc chronicon ab Urstisio separatim editum cum chronico, quod dicitur Bertoldi commiscuisse.

III.

Hoc chronicon ante duo reliqua confectum esse non ex eo apparet, quod res usque ad a. 1066 tantum narrat, sed quod scriptor ipsarum rerum aequalis esse videtur.

Quod quum ex aliis rebus tum inde colligitur, quod nusquam recentiorum temporum ratio habetur, id quod in cont. II et III saepissime occurrit.

Neque solum continuationem I ante duas reliquas conscriptam esse, verum etiam continuationi II materiam praebuisse qui annos 1057, 1058, 1063, 1065, 1066, inter se comparaverit, facile diiudicabit.

Nam de Nicolai II papae morte in continuatione I ita disseritur, ut scriptor eo ipso tempore, quo papa mortuus sit scripsisse videatur. Neque enim earum rerum, quae postea ex Honorii electione secutae sint ulla mentio fit, et ita omnia describuntur, ut qui tunc concilio Basileae habito interfuerit, primo tempore iudicare par erat. Eodem modo in continuatione II mors Nicolai et electio Honorii narratur, sed paucis mutatis additur: „papatum nunquam possessurus“ et Hildebrandus tunc archidiaconus fuisse memoratur, ex quo nullo negotio coniicias, continuationem II a. 1073 vel postea conscriptam esse.

Praeterea continuationem I a scriptore continuationis III usurpatam fuisse nemo nescit. Nam quae in continuatione I a. 1060 de Ungaria et de annis 1061, 1063, 1065, 1066 dicta sunt, paene omnia in cont. III reperiuntur, ita tamen ut multo post illa esse scripta videantur. Porro quae in cont. I et III de morte Henrici III imperatoris narrantur, etsi ad verbum fere consentiant, tamen in cont. III et copiosius et accuratius dicta sunt, et addita est nota: „Henricus IV filius Henrici regnavit annos 20.“ Quam notam post annum 1076 scriptam esse apparet. Eo accedit quod a scriptore continuationis III, quae minus fuerint grata, omissa sint, quare eiusmodi verba vel ut „regni iura suscipiens“ non inveneris. Hanc primam continuationem ultra a. 1066 non progredi inde concludere licet, quod post a. 1066 una eademque res non triplici sed duplici tantum modo narratur.

IV.

Nec sola cont. prima verum etiam altera tertiae materiam praebuit. Quod usque ad a. 1076 tantum factum esse Pertzius et Wattenbachius affirmant. Waitzius quum hoc sibi dubitandum esse putat, ob eam potissimum rem sic statuit, quod Bertoldum auctorem illi nominant.

Perlegenti mihi haec chronica inter utrumque in rebus narrandis non usque ad a. 1076 sed usque ad a. 1078 concinnitas quaedam et consensus intercedere videtur, ita tamen ut continuatio altera tertiae materiam praebuerit. Quod ut comprobem, quamquam quae a. 1059 de Friderico de Glichberg et a. 1061 de Honorio papa in utroque chronico exstant et consentiunt, in cont. III tamen multo verbosius et accuratius continentur, additis verbis „multis praemiis quibusdam ut aiunt datis, simoniace", ex quibus intelligitur, scriptorem continuationis III non Honorium sed Alexandrum papam canonice electum esse censere. Etsi verum est a. 1063—1075 ad verbum saepe consentire utrumque chronicon, tamen non est infitiandum a scriptore continuationis III multa addita et emendata esse. Nam quae in cont. II a. 1069 de electione episcopi Constantiensis et sequentibus annis de Constantiensi ecclesia narrantur, clarius et dilucidius ex cont. III conspiciuntur. Porro in hac semper fere additum esse reperis tempus vel locum, ubi imperator diem paschae vel natalem celebraverit. Quae res, continuationem II tertiae materiem praebuisse inde optime colligi licet, quum quae a. 1073 in utroque chronico de rebus Saxonicis relata sunt, inter se compares. Ubi non solum brevis illa continuationis II narratio invenitur, verum etiam singula tam accurate et latius quidem in cont. III describuntur, ut huius scriptor res narratas satis cognovisse et perspexisse videatur. Sequentibus annis et

in cont. II et III accurata semper temporis ratio habetur et quae in cont. III adduntur, satis erudite et eleganter inseruntur Omnino in rebus inde narrandis scriptor continuationis III tam longus tamque multus est, ut ex cont. II eum hausisse agnoscere vix possis. Tamen ut in rebus ipsis satis consentit utrumque chronicon, ita in utroque verba omnino congrua reperiuntur vel ut a. 1077: „III idus Martii apud Forchheim", „habito colloquio", „plus quam centum", „quamdiu Petrus esset in vinculis", „in ecclesiae sanctae Petronellae". Nec sola eadem verba reperiuntur, verum etiam quae de episcopo Augustensi, de caussa utriusque regis a papa diiudicata, (Usserm. II p. 60 et 75) de morte Gotefridi ducis in cont. II reperiuntur, eodem modo in cont. III narrata esse invenis, nisi quod in eo inter se differunt, quod Gotefridus dux ex continuationis II auctore a coquo et ex cont. III scriptore a milite quodam interficitur, quod verum esse videtur. Eiusmodi discrepantiae specimen occurit in narratione de Agnete imperatrice quum continuatio III eam 18 annos sacro velamine consecratam esse dicat, continuatio II tamen 20 annos et cont. I 16 annos afferat; in hac enim ad a. 1061 sic legitur: (Usserm. I p. 256) „Agnes imperatrix depositis regalibus vestimentis sacro velamine circumdata." Nec quidquam comprobandum est, quum eam post raptum Henricum regem a. 1062 in monasterium quoddam se recepisse notum sit.

Praeter multa alia etiam 1078 singula verba sibi respondentia in utroque chronico invenies vel ut: (Usserm. II p. 88 et 93) „circa festum omnium sanctorum", „Tunc quoque parum minus quam centum ecclesiae in illa expeditione violatae sunt", „utriusque regis legati".

Annum 1079 continuatio II solito brevius absolvit atque persequitur. Sequenti anno 1080 cont. III desinit enuntiato interrupto.

V.

His dictis, quaerendum est qui sint chronicorum auctores?

Ac primum quidem continuationis I Bertoldus, Hermanni discipulus, auctor nominandus est. Quum enim Bernoldus a. 1076 tunc iuvenis continuationem II a. 1073 scribere coepisset, et continuationem I ante cont. II scriptam esse eluceat, haec prima continuatio eius esse non potest. Quare continuationem I Bertoldo tribuendam esse puto. Quem chronicon aliquod scripsisse testatur Chronicon Mellicense: (Libro de script. eccles. c. 92) „Bertholdus qui eiusdem (Hermanni Contracti) auditor et discipulus exstitit, vitam magistri et chronicon scripsit.“ Eo accedit quod codex Murensis in fine chronici Hermanni haec verba affert:

„Hucusque chronica Hermanni, abhinc Berchtoldus“, et ab eo inde loco vita Hermanni et continuatio I sequuntur.

Continuationis II auctor quis sit Ussermannus (lib. II p. 183 sqq.) satis docuit. Quocum opusculorum ibi allatorum et chronici II auctorem eundem esse statuimus Bernoldum sive Bernaldum. Quo nomine in opusculis se ipse nominat et in chronici II initio sic legitur: „Haec est chronica, quam Bernaldus monasterio Scafhusensi tradidit.“ Cuius chronici II Bernoldum esse auctorem omnes libenter concedunt. Ussermanns quamquam nomina non tamen personas mutat. Auctorem denique et chronici II et opusculorum eundem esse Bernoldum chronicon Mellicense tradidit (cap. 101): „Bernardus (scil. Bernaldus) presbyter, vir doctus et catholicus cum collega suo Albano (scil. Alboino) presbytero utilem habuit conflictum super incontinentiam sacerdotum, scribit enim apologeticum

super decreta, quae venerabilis papa Gregorius eiusdem nominis VII in Romana synodo promulgavit contra simoniacos et incontinentes altaris ministros, scribit praeterea librum de potestate presbyterorum, de concordia officiorum librum, librum quoque de confessione. Ad hoc etiam satis utilem scribit chronicam“. Praeterea idem ex chronico II ipso probari potest. In cont. II a. 1084 se auctor a legato apostolico presbyterum factum esse seque ex apostolica auctoritate potestatem accepisse ad suscipiendos poenitentes fatetur. Talem se esse non solum generatim in opusculis manifestat, sed clare et distincte sic dicit: (Usserm. II p. 387 de presbyt. off.) „Hanc quippe concessionem (scil. ad suscipiendos poenitentes) nos ipsi ab ordinatione suscepimus“. Idem in chronico II se singulas opusculorum epistolas scripsisse satis dilucide dicere videtur. Quae quum ita sint, restat ut dicamus quis sit auctor continuationis III?

Huius auctorem Pertzius et Wattenbachius Bertoldum, Hermanni discipulum, nominant. Quod ut demonstrent, eo maxime argumento usi sunt, quod quum duas tantum continuationes cognoverint neque alium praeter Bernoldum scriptorem compertum habeant, alterius chronici auctorem Bertoldum esse suspicantur. At hanc Pertzii et Wattenbachii sententiam cum Waitzio nequaquam probamus. Neque enim credi potest, Bertoldum, Hermanni illum discipulum, qui, postquam florente aetate continuationem I scripserit, post a. 1080 iterum scribere coepisse atque continuatione II Bernoldi iuvenis usum fuisse. Iam si Pertzii sententiam sequeris, explicatione prorsus caret, Bertoldum tam parcam rerum annorum 1054—1073 notitiam prae se ferre, ita ut neque eum illis temporibus vixisse neque ullo partium studio abreptum fuisse merito coniicias. Unde haec verborum egestas iis praecipue annis, quibus, quum vir esset quadraginta fere annorum, rerum, quae tum gererentur, multo fuisset curiosior?

Praeterea multa, quae relata legimus, aliunde deprompta esse perspicuum est. Accedit quod, si statuas Bertoldum continuationis III auctorem fuisse, eum ingrato animo fuisse in Hermannum magistrum atque morientis mandata valde neglexisse existimabis, quippe qui plus viginti quatuor annis post Hermannum mortuum ei morem gerere inceperit. Iam vero, si Bertoldus continuationem III confecisset, Bernoldus in continuatione II, quum mentionem faciat virorum musica, architectura, litteris reliquarumque liberalium artium studio excellentium, Bertoldum silentio transire non debuit. Neque vero Bertoldum, de quo Bernoldus a. 1088 refert: „Bertoldus doctor egregius, in sacris litteris adprime eruditus, in senectute bona plenus dierum migravit ad dominum 4 id. Mart.“ illum Hermanni discipulum esse, tam certis historiae documentis comprobatur, ut extra dubium positum sit; praesertim quum multi illo tempore monachi fuerint litteris insignes et Bertoldi nomen in Suevia saepe occurrat. Denique auctor continuationis III nusquam neque monachum Augiensem neque Hermanni discipulum se gerere videtur neque ex chronico ipso certum de vita eius argumentum eruere possumus.

Iam vero quum praeter duo illa nomina Bernoldi et Bertoldi ne ullum quidem vestigium alius auctoris inveniamus, aut alius quis anonymus aut Bernoldus auctor sit necesse est.

Sed ne talem anonymum statuamus, ea potissimum res impedit, quod tunc temporis commercium et commeatus inter Alemanniae monasteria vigebat ac florebat. Deinde si continuationem III multo post continuationem II, ex hac et ex opusculis compositam invenires, anonymum esse scriptorem facile coniiceres, sed quum contin. III ante a. 1085 scriptam habeamus et ob eam rem continuationi II aequalem esse oporteat, de scriptore cont. III quasi de anonymo minime iudicandum est. Neque vero eum, qui

continuationem III scripserit, quum non solum chronicon verum etiam omnia Bernoldi opuscula et cognoverit et adhibuerit, ab omnibus et suae et posterioris aetatis scriptoribus cognosci potuisse, quis est qui probare velit. Denique, quum scriptorem Alemannum fuisse et Constantiae vel prope Constantiam et vixisse et scripsisse ex cont. III ipsa appareat, pro anonymo eum habere absurdum esse existimo. Quae quum ita sint, restat, ut Bernoldum etiam cont. III composuisse statuamus.

Et profecto omnia quae de vita scriptoris continuationis III ex hac ipsa elici possunt, ad Bernoldum quoque referenda sunt. Quum enim utrumque chronicon circa a. 1073 et copiosius et longius fieri incipiat, et uterque scriptor in rebus narrandis vividioribus verbis maioreque animi fervore et calore versetur, prorsus aequales scriptores esse videntur. Praeterea et continuationis III et II scriptorem Alemannum et dioecesi Constantiensi adscriptum esse et partes Rudolfi regis sequentem et Gregorii VII decretorum et sententiarum defensorem existere, qui utrumque chronicon legerit, facile cognoscet. Porro et Bernoldum, et eum, qui cont. III scripserit, concilio a. 1079 Romae habito interfuisse comperimus. Bernoldus enim, etsi in continuatione II a. 1079 eximia de hoc concilio verborum exilitate utitur, tamen illi concilio se interfuisse in opusculis ipse narrat, (cf. Usserm. II 435) et quod scriptorem continuationis III attinet, etsi in hac certis verbis non demonstratur, tamen ex longa et copiosa anni 1079 narratione et illustri huius concilii et rerum Romanarum scientia eum huic concilio interfuisse certe colligi licet. Scribit enim, quasi quae narrentur ipse viderit atque audiverit. Omnis narrationis cardo versatur in rebus in concilio Romano actis. Interponuntur tamen singula quae ad Germaniae statum vel condicionem pertinent et ea quidem quae cum concilio arctissime cohaerent. Quae res ex eo maxime elucet

quod, eiusmodi rebus narratis ad res Romanas omnis oratio redit. Quae tunc temporis in singulis regionibus gesta sint ille ignorat, ita ut quo loco rex a. 1080 diem paschalem egerit, nesciat.

Eo accedit quod annis 1079—1083 Bernoldus continuationi II manum non admoverit neque ullum ab eo opusculum his annis compositum esse constet. Nec quidquam eo tempore a Bernoldo litteris mandatum esse non est cur censeamus. An vero tu illum in desidia illos annos degisse putas? Aut cur eum, qui sui temporis historiam scribere instituisset, illos annos, de quibus summa rerum scientia ornatus esset, quasi silentio transiisse statuis? Nec vero credi potest, Bernoldum ad a. 1079 tanta verborum exilitate usum esse quanta in continuatione II a. 1079 et sequentibus annis inveniatur. Quare, quum duos scriptores statueremus, utrumque eorum concilio illi interfuisse magnopere foret mirandum.

Altera argumentationis pars petenda videtur ex utriusque chronici et opusculorum dictione et consensu, quo unum eundemque scriptorem chronica composuisse colligi licet. Neque enim solum cum cont. II usque ad a. 1078, ut supra demonstravimus, ad verbum saepe consentit continuatio III, verum etiam cum opusculis et sententiarum et verborum concinnitate congruit. Et in continuatione III et in opusculis easdem sententias, (cf. Usserm. II p. 21 et 272) eosdem scripturae sacrae locos, (cf. Uss. II 22 et 318) eadem episcoporum Romanorum decreta reperimus, vel ut Gelasi papae decretum et in contin. III (Uss. II 34) et in opusculis (Uss. II 216 et 308) invenitur; in his addita sunt ipsa Bernoldi verba:

„Sed nec illa praeterimus – deliberarent.“ Porro decretum Silvestri papae (Uss. II p. 31, 218 et 219) et Gregorii (Uss. II 31 et 361) iisdem fere verbis repetuntur, sed pluribus verbis in cont. III. Nec solum decreta sed etiam exempla ex historia desumpta et in cont. III

et in opusculis eadem saepe adhibentur et haec quidem iisdem fere verbis. Eius rei argumentum habes illo loco, quo Pipini et Lotharii regum mentionem facit. (cf. Uss. II p. 56, 393, 394.) Praeterea una eademque res eodem saepe modo narratur et demonstratur. Quod apparet, quum quae de episcopo Spirensi (Uss. II 21 et 268) et Babinbergensi (Uss. II 25, 207, 379, 395) narrantur comparaveris. Deinde quae de concilio a. 1076 Wormatiae habito in cont. III dicuntur, (Uss. II 30) eadem in opusculo de damnatione schismaticorum reperiuntur. Tum et in cont. III et in opusculis ad eandem rem demonstrandam eadem argumentatio et eaedem partitiones conspiciuntur. (cf. Uss. II p. 64, 35, 187.) Iam vero consensus et concinnitas sententiarum et verborum eiusmodi est, ut duos scriptores, quorum unus altero usus sit, statuere minime possimus, sed unum scriptorem eandem rem iterum tractasse apparet. Eo accedit quod continuatio III, etsi ante a. 1085 eam scriptam esse videbimus, tamen etiam cum iis opusculis saepe consentit, quae post a. 1085 scripta esse cognoscemus, (cf. Uss. II 56, 398, 394) quare si alium continuationis III scriptorem statuas, Bernoldus in opusculis post a. 1085 scriptis, illius chronico usus sit necesse est. Quod nequaquam probari potest, nisi si Bernoldus etiam continuationem III scripserit.

Denique Gregorii VII sententiae et actiones per totam cont. III et omnia opuscula eodem semper modo probantur, (cf. Uss. II p. 21 et 272) ita tamen, ut quae demonstranda sint, non tam caussis e ratione vel iure petitis, quam decretis synodalibus, locis e scriptura sacra sumptis, decretis episcoporum Romanorum, demonstrari soleant. Quid plura? Scriptorem et continuationis III et opusculorum eodem praeditum esse ingenio, eadem eruditione instructum, eadem et theologiae et philosophiae et historiae scientia ornatum quis est qui neget?

VI.

Iam quaeritur, unde diversitas quaedam temporis et narrationis profecta sit?

Ac primum statuendum est, ut supra iam diximus, Bernoldum in iis, quae postea scripserit, id mutasse atque emendasse, quod recte non esse cognoverit. Deinde quae de episcopo Spirensi in cont. III et II (Uss. II 21 et 68) narrantur, etsi eodem modo traduntur, tamen quoad tempus attinet, non prorsus consentiunt. Sed quamvis uno die differant, haud magni momenti hoc esse potest, praesertim quum in cont. II et in necrologio, quod Bernoldi esse nemo negat, haec temporis saepe diversitas occurrat.

Quae quum ita sint, etsi non dubito, quin Bernoldum et continuationis II et III auctorem esse existimes, tamen si quid non satis a me demonstratum esse putes, quum utrumque chronicon ipse legeris et comparaveris, prorsus te mecum consentire persuasum habeo. Nec quid Pertzius habet quod opponat. Is enim quum duos scriptores et duo tantum chronica cognovisset et unum (scil. cont. II) Bernoldi esse constaret, alterum (scil. cont. III) Bertoldo, Hermanni discipulo, tribuendum esse existimavit, praesertim quum Bernoldum chronicon scripsisse traditum esset.

Quibus dictis, continuationem II et III reperiri compilatam et coniunctam minime est mirandum. Et fratrem illum anonymum, qui in concilio Romano a. 1079 habito Rudolfi regis defensor exstitit (cf. Uss. II p. 106), chronici auctorem esse cum Pertzio eo certius affirmamus, quum Bernoldum auctorem cognoscamus et eum ipsum a. 1079 audisse et vidisse constet, „quando Beringarius in media synodo constiterit et haeresim de corpore domini coram omnibus propriae manus sacramento abdicaverit.“ (cf. Uss. II p. 465.)

VII.

Postquam qui sint auctores cognovimus, iam quaeritur, quando chronica illa tria incepta atque scripta sint?

Ac primum quidem, id quod supra docuimus, continuatio I multo ante a. 1073 initium cepit, omnesque res, quae in ea narrantur, statim simul atque gestae sunt, notatae esse videntur.

Altera vero continuatio, quod ex ipsa apparet et a Pertzio satis perspicue demonstratum est, a. 1073 incepta fuit. Et ita quidem auctor rem instituit, ut, quod chronici anni 1077, 1078, 1084, 1086, 1092, 1093, 1098, declarant, his annis res usque eo gestas successive scripto mandaret.

Tertia denique post hanc composita est, quippe quum continuatio II materiem ei praebuerit. Quod si Pertzius et Wattenbachius, Bertoldum auctorem esse rati, a. 1076 initium eam cepisse contendunt, quia ad a. 1056 verba reperiantur illa: „Henricus IV, filius H. III, regnavit annos 20“, et quia desinit illa alio chronico uti, res longe alia est, quum et Bernoldum auctorem cognitum habeamus et quae ab illis allata sunt, nullius momenti sint. Et ne repetam illud, quod continuationem III non solum usque ad a. 1076 sed etiam usque ad a. 1078 in continuatione II niti docui, ex multis aliis caussis notam illam post ea, quae praecedant, scriptam esse colligi licet. Nota enim illa in fine legitur. Praeterea ex more auctoris cont. III et II est, si quae fuerint fames, pestilentiae, mortalitas, dirae tempestates, haec in fine cuiusque anni addere, id quod in cont. III a. 1057, 1060, 1063, 1068, 1070 conferri liceat. Iam vero, quum idem a. 1056 cognoscatur, et, eiusmodi nota posita, verba illa addantur: „Henricus IV regnavit annos 20,“ quamvis paullo ante de Henrico verba

fecerit, in contextum enuntiatum illud irrepsisse videtur. Praeterea eam ob rem verba illa cum ceteris uno tenore scripta esse censeri nequit, quod in continuatione III etiam post a. 1076 Henricus „rex" appellatur neque eius depositio a Gregorio papa facta finis imperii Henrici nominatur. Immo vero nota illa quam maxime continuationem II olet, in qua, depositione et excommunicatione Henrici commemorata, vox „rex" ex consulto evitatur.

Id quidem pro certo habere possumus, continuationem III ante mortem Gregorii VII (1085) scriptam esse quum in ea (Uss. II 47) verba reperiantur: „domnus autem apostolicus, ut e s t non minimae compassionis etc.", et quum res usque ad a. 1080 narrentur vel a. 1080 vel post hunc annum continuationi III manum scriptor admoverit necesse est. Sed de hac re, ubi de vita Bernoldi agimus, accuratius dicemus.

VIII.

Bernoldi scripta postquam cognovimus, quae vitae eius fuerit condicio, accuratius inquirere et indagare in animo est.

Bernoldus filius fuit clerici cuiusdam matrimonio iuncti. Alboinus quidem adversarius eius, ubi de coelibatu sacerdotum agit, originis maculam ei obiicit his verbis: (Usserm. II 248) „Ut quid pudibanda patris Noe denudare non pavescis, quum certum sit, te de eodem secundum tuam ipsius sectam peccato esse progenitum? Qua ratione, quove modo tu ipse peccatum in alio vis damnare peccatum? Cave ut tibi sermonem faciam iuxta Salomonem."

„Ante suum tempus nimis exaltata iuventus,
Ne male labatur pede desursum retrahatur."

Hanc originis maculam quamquam Bernoldus in epistola responsoria omnino planeque concedit, tamen pro coelibatu sacerdotum verba facit.

Anno 1076, quo hi ad se invicem litteras dabant, Bernoldus adhuc iuvenis erat. Nam et Alboinus, ubi de eo disserit, iuventutis vocem adhibet et Bernardus magister eius a. 1076 sic scribit: (Uss. II 213) „Valeas et tu optatae indolis, Bernolde, floscule vernans." Fuit hic idem, a quo Bernoldus in schola Constantiensi litterarum elementis imbutus est. Erat enim tunc magister scholarum, (cf. Uss. II 330 et cont. II 1088) postea vero a. 1076 in Hildesheimensi civitate eum versari comperimus. (cf. Uss. II 210 „Hildesheimensem ecclesiam, cui ego indignis simus nunc servio.") Iam quod Ussermannus statuit, (II 213) Bernardum ante Rumoldi, Constantiensis episcopi mortem (a. 1069) Constantiam reliquisse, ut hoc ex omni parte verum esse putemus, persuadere non potest. Utcunque se res habet, ante annum 1076 Bernoldus Bernardi eruditione uti desiit. Et hoc quidem anno Adalbertum, qui iam antea Bernardum artes liberales docuisset et tunc temporis aetate esset provecta, magistri officio apud Bernaldum fungi videmus. Uterque eorum, Adalbertus eiusque discipulus, Bernoldus, a. 1076 cum Bernardo illo litteris citro ultroque missis de damnatione schismaticorum egerunt, ita quidem, ut, quae Adalbertus dictavisset, Bernoldus scripto mandaret. (Uss. II p. 187 sqq.) Ad eundem Bernardum una tantum epistola Bernoldi exstat, (Uss. II 230 sqq.) quam inter a. 1084 et 1088 compositam esse ex eo apparet, quod Bernoldus in hac presbyter (1084 factus) nominatur quodque Bernardus a. 1088 diem obiit. (cont. II ad. a. 1088.) Cuius epistolae in initio quum legatur: (Uss. II 230) „De sacramentis excommunicatorum unde iam d u d u m ante m u l t o s annos ad invicem scripsimus" inter a. 1076 et hunc eos non iam litteras ad se dedisse consentaneum fit. De Bernhardo magistro quum iterum Bernoldus ad a. 1091 verba faceret, laudatis eius

pro Gregorio VII epistolis, eum regulas dogmaticas non satis servasse controversiamque cum Hartewico episcopo Magdeburgensi habuisse narrat.

Post epistolas ad Bernhardum missas ad Alboinum adversarium scripta eum composuisse ex eo apparet, quod suo arbitrio utitur, nec quod Adalbertus dictaverat, scripto mandabat. Nec tamen res ita accipienda est, quasi Bernoldus ad verbum Adalberti vestigia pressisset. Equidem censeo, Bernoldum quum adhuc iuvenis esset, Adalberti nomen epistolis suis propter modestiam et reverentiam quandam inscripsisse omniaque ad suum ipsius arbitrium composuisse. Praeterea verisimile est Adalbertum eo tempore, quum Bernoldus ad Alboinum litteras mitteret, Constantia relicta in monasterium Scafhusense se contulisse, ubi anno 1079 mortuus est. (cf. cont. II a. 1079.)

Et quemadmodum in his, de quibus diximus, epistolis eadem, quae in chronicis II et III, rerum moralium et dogmaticarum Bernoldi scientia et doctrina exstat, ita in „apologetico pro Gregorio VII“, quem post epistolas ad Alboinum missas compositum esse constat, (cf. Uss. II 271) eodem illum modo Papae rebus favere videmus, quo in chronicis, quorum utrumque non iniuria apologeticum pro Gregorio VII dixeris. Ille apologeticus utrum anno 1077 an 1078 compositus sit, certe iudicari non potest.

Quae quum ita sint, nulla in hac re dubitatio esse potest, quin Constantiae Bernoldus iuventutis annos degerit ibique primis litterarum et artium liberalium elementis sit imbutus; in quibus quantos fecerit progressus quantamque rerum quum theologicarum tum philosophicarum scientiam et copiam sibi paraverit, ex scriptis eius et libris optime colligi licet. Neque solum in apologetico sed etiam in ceteris libris tanta scientiae et doctrinae vis et copia exstat, quantam apud aliorum eiusdem aetatis invenias nullum. Quum enim non solum excellenti et praeclaro ingenio esset ornatus, sed etiam summe omnium

doctrinarum studiosus esset, non acquievit, priusquam praeter theologiam et philosophiam etiam historiam studio complecteretur. Quare quum vir esset in rebus ecclesiasticis accuratissimus et religiosissimus, admodum verisimile est, eum ipsum fuisse illum fratrem, qui anno 1079 Romam missus concilio interfuerit. (cf. Uss. II 106.) Ad quam sententiam eo magis nos adduci oportet, quod Otto, episcopus Constantiensis, quippe quum Gregorii VII partes et instituta minus sectaretur, in concilio non aderat. Quare Bernoldum episcopi loco Romam missum esse puto. Talis igitur quum esset, quumque hac auctoritate esset ornatus non alienum est, quin in medio concilio ad Rudolfum regem defendendum verba faceret. Et profecto meliorem Bernaldo rerum clericarum patronum et defensorem invenire non poterant. Qui quum quae a. 1078 facta sunt, eodem anno, ut ex libro ipso apparet, in chronico II scriberet, inde sequitur, ut tunc temporis Constantiae commoratus sit, quare illius anni fine vel sequentis (1079) initio eum Constantia relicta ad concilium Romanum profectum esse necesse est. (cf. Uss. II 435.)

Et quoniam res sua aetate gestas narrare instituerat, non dubium est, quin hoc tempore et hoc loco, ubi multa ipsi materia et copia scribendi esset oblata, chronico componendo Romae operam navaverit. Quodsi Bernoldum ab anno 1079 usque ad annum 1084 continuationi II manum non admovisse ex ipsa satis elucescit, liber ille in quo conscribendo Romae diligentiam adhibebat, non nisi continuatio III esse potest. Sed chronicon III ipsum, qua est in rebus scribendis copiositate, acritate, subtilitate, satis demonstrat, auctorem ipsum concilio rebusque scriptis interfuisse. Continuatio III unde orta sit, si quaeris, hoc mecum putabis, Bernoldum, quum Constantiam relinqueret, alterum libri sui exemplar secum duxisse ductumque correxisse atque auxisse, ita quidem, ut quae in libris et epistolis ante illud tempus compositis ab eo narrata sunt, ea

ad verbum saepe in continuatione III cognoscas contineri. Hanc igitur anno 1078, quo anno chronica illa inter se consentire desinant, inceptam esse censemus.

Hoc si statuimus, inde etiam diversitas narrationis anni 1061 explicari potest.

Bertoldus enim quum continuationem I scriberet, electionem papae ita ostendit, ut eo momento temporis videbatur.

Bernoldus contra quum a. 1073 hanc notam exscriberet, addidit: „papatum nunquam possessurus", non diiudicans quis papa canonice electus sit. Chadelum Basileae canonice electum esse narrat nec credi potest, Bernoldum contra concilium prope Constantiam habitum, cui episcopatus et clerus suae regionis interfuerit, verba fecisse. Sed addidit, Alexandrum iam antea a Normannis et quibusdam Romanis electum esse et laudat vitam et muneris eius officia. Quum igitur silentio canonicam Alexandri electionem agnoscat, verba illa Bertoldi „apostolicam sedem sibi usurpavit" omisit.

Anno 1078 quum Bernoldus papae caussis omni modo faveret, ut Alexandrum papam rite electum esse fingeret, de Chadeli electione adiecit verba: „multis praemiis quibusdam, ut agunt, datis, simoniace". Etiam hoc loco Alexandrum rite electum esse tacito fatetur; adiecta tamen est illa nota, ne Chadelus canonice electus esse videatur. Atque omnino perspicuum est, has res, quum ipsius factioni, si a cuius parte ius steterit, quaesieris, obnoxiae essent, a Bernoldo dedita opera leviter tangi. Sed si harum singularum emendationum nullam rationem habueris, in continuatione III multa invenies, quae partim nova, partim copiosiora sunt, sententia tamen non mutata.

Exemplari igitur idiographo Constantiae relicto, in Italia alterum exemplar continuans, quae nova acciderant enarravit et praecipue ea quidem, quae in concilio gesta erant vel ad res ibi tractatas pertinebant, ita ut inde ab

a. 1079 continuatio III princeps liber, continuatio II epitome illius existeret.

Bernoldus ubi ab a. 1080 usque ad a. 1083 moratus sit accurate et definite ex scriptis eius non liquet. Sed quum praeter continuationem III nullum alium librum sive epistolam per illos annos scriptam habeamus, per hoc tempus eum in Germania non fuisse, ad veritatem proxime accedere videtur; illud quidem pro certo constat, tunc temporis Constantiae eum non fuisse commoratum. Exacto vero anno 1079, quantum coniectura assequi licet, Romae vel in monasterio aliquo Italico moratus a. 1083 cum Odone, episcopo Ostiensi, iter in Germaniam suscepit, ubi in monasteriis Alemanniae et praesertim Constantiae maxima exstiterat rerum turbatio. Reversus igitur quum continuationem II rursus exciperet, inde sequitur, ut continuationem III, eo, quo antea tempus degerat, loco reliquerit, certe quidem eam Constantiam secum non reduxerit.

Et ita quidem rem instituit, ut in continuando chronico II res ab a. 1079 usque ad a. 1083 gestas brevissime narraret et ex eo inde tempore, sicubi quid accideret, id scripto mandaret. Continuatio III utrum ultra a. 1080 egressa sit necne certe colligi non licet; quamquam quum enuntiato abrupto verba desinant, illud verisimilius esse videtur, temporum iniquitate nonnulla esse perdita nec nobis servata. Id quidem manifestum est, annum 1083 eam non excessisse. Nam inde ab a. 1083 in continuatione II res tam accurate et copiose describuntur, ut continuatio III non iam desideretur. Quo accedit quod Bernoldus per hos annos Constantiae continuationi II conscribendae operam dedit et postea una cum Gebhardo episcopo in castris Hermanni regis versatus in continuatione II deducenda studium collocavit. (cf. chron. a. 1084 sqq.) Quare illum eodem tempore etiam continuationi III manum admovisse minime est iudicandum.

Iam ad Bernoldi vitam describendam redeamus. Is, quum Odo, episcopus cardinalis et legatus apostolicus ad res turbatas in ordinem redigendas Constantiam venisset Gebhardumque ad episcopatum promovisset, eodem tempore, quoniam satis innotuerat, presbyter factus est simulque ex apostolica auctoritate vim accepit ad suscipiendos excommunicatos. (cf. Chron. II ad a. 1084). Quare optime clarum fit, quanto doctrina theologica et alacritas propugnandi res ecclesiae in eo cognita aestimaretur.

Deinde in bello inter Henricum regem et Hermannum exorto, quem Gebhardus episcopus summis viribus adiuvabat, Bernoldus huius comes fuit, sive vicarium eius illum fuisse sive munere poenitentiarii functum esse apostolici statuas. Et ipse in chronico ad a. 1086 se pugnae Bleichfeltinae et obsidioni Wirzeburgensi interfuisse tradit. Post haec ad monasterium St. Blasii confugit. Ac quum ad a. 1086 descriptionem monasterii illius accuratissimam praebeat et se haec verba eodem anno scripsisse claris verbis fateatur, (cf. chron. a. 1086) fugam illam auctumno eiusdem anni factam esse fit manifestum. Nec sequentibus annis monasterium illud reliquit, ut ex epistola eius ad Adalbertum, episcopum Spirensem missa apparet, in qua se ipse ultimum fratrem de St. Blasio nominat. (cf. Uss. II 357 sqq.) Quae epistola, quum post Gregorii mortem (1085) et ante a. 1089, quo anno Burchardus episcopus factus est, missa sit, a. 1087. vel 1088. composita sit necesse est. In monasterio St. Blasii usque ad a. 1091 commoratus est. Nam et manuscriptum ibi relictum res usque ad a. 1091 gestas comprehendit et Bernoldum inde ab a. 1091 in monasterio Scafhusensi fuisse perspicuum est. Omnia enim, quae ad a. 1092, 1093, 1094, 1098 traduntur, ipse vidisse atque audisse videtur. Mortuus est 16. Cal. Octob. anni 1100 in monasterio Scafhusensi. (cf. Uss. II obs. praev. XVIII.) Chronicon eius pertinet usque ad III. non. Aug. a. 1100.

IX.

Omnes eius epistolae, quae Constantia relicta scriptae sunt, inter a. 1086 et 1091 compositae sunt:

1. de canonum auctoritate. Uss. II 311 sqq.
2. de obedientia papae praestanda. Uss. II 368 sqq.
3. de vitandis excommunicatis. Uss. II 370 sqq.
4. de emtione ecclesiarum. Uss. II 375.
5. apologia pro Gebhardo Constant. Uss. II 378.
6. de presbyterorum officio. Uss. II 385.
7. de solutione iuramentorum. Uss. II 391.
8. de Berengarii multiplici damnatione Uss. II 435. (script. a. 1088 in monast. St. Blasii.)
9. de salute parvulorum. Uss. II 397.

Neque ulla inveniri potest epistola, quam post a. 1091 in monasterio Scafhusensi compositam esse certum sit.

Constat enim his ipsis annis (1080—1090) plurimos scriptos esse libros aut pro Gregorio VII aut pro Henrico IV. Magni enim momenti erat, quod Rudolfus in proelio a. 1080 facto diem obiit supremum. Nam multi superstitione quadam capti Rudolfi regis mortem in proelio acceptam dei iudicium esse existimabant. Quare permultos exinde partes Henrici regis secutos esse necesse est. Et profecto tunc temporis de controversia inter papam et imperatorem exorta tanta exstiterat dubitatio, ut viri nobilissimi et civitatis et ecclesiae nihil antiquius haberent, quam ut in monasterium aliquod absconditum se conferrent, ne belli aut excommunicationis participes fierent. (cf. chr. a. 1083.) In ipsis monasteriis a monachis, si quid scientia ac doctrina valerent, de hac controversia permultum scriptum est. Quaerebatur enim, Gregorius VII papa in sacerdotes matrimonio coniunctos utrum recte ageret necne, deinde, qui a papa excommunicati essent, quomodo cum iis versari deberent, tum quo iure impera-

tor uteretur investitura, denique quae ratio et condicio esset inter papam et imperatorem? De his rebus ab omnibus paene eius aetatis monachis magno studio et ardore magnaque theologiae scientia disceptatum est. Quare Bernoldum, quum de rebus Romanis optime instructus ex Italia in patriam reversus esset, sententiis et rationibus apostolicae sedis edoctum et magna theologiae et historiae eruditione ornatum res Gregorii papae, quo iubente eum sacerdotio ordinatum esse verisimile est, quocunque modo defendere studuisse non est mirandum. Itaque continuationem III non tam chronicon quam apologeticum pro Gregorio VII dixeris.

Quibus praemissis quum Bernoldi scripta accuratius contemplemur, eum simplicem monachum fuisse minime est iudicandum. Nam ut omittam magna eius theologiae, philosophiae, historiae studia, quis decretorum paparum et conciliorum fuit peritior Bernoldo? Quam ipsam doctrinam quocunque modo ad sententias Gregorii atque eius factionis defendendas eum adhibere videmus. Neque enim quae ad demonstrandum proferuntur, ex iure vel philosophia sumpta sunt, sed omnia exemplis ex historia sive profana sive ecclesiastica petitis demonstrantur. Quae a Gregorio VII gererentur non nova esse sed vetustate sacrata exponit et iurisdictionem a Gregorio adhibitam etiam ab aliis pontificibus esse tractatam.

Huc accedit, quod Bernoldus summa multorum episcoporum et principum familiaritate utebatur. Cum legatis enim apostolicis, ducibus Sueviae et Baioariae, Hermanno, (chron. a. 1074) filio Bertoldi ducis et fratre Gebhardi episcopi, amicitiae quodam vinculo obstrictus erat. Inprimis Gebhardi episcopi summa usus est familiaritate. Is enim de multis saepe rebus Bernoldi consilium petiit, quod ex epistola ad Gebhardum scripta satis elucescit. (cf. Uss. II 378 sqq.) Sed quid plura proferam? id ipsum, quod Romam missus concilio interfuerit, satis

mihi demonstrare videtur, quanta fuerit et eruditione et auctoritate?

X.

Quae quum ita sint chronica Bernoldi quantam ad historiam discendam praebeant utilitatem quaerendum est.

Ac primum quod attinet ad fontes chronicorum Bernoldus ipse sic dicit: „Hi sunt autem auctores chronicorum: Eusebius, Hieronymus, Prosper Dionysius, Iordanis Beda et nostri temporis Herimannus et deinceps quilibet sui temporis descriptores.“ In horum numero habenda esse mecum putabis et continuationem I sive Bertoldi et epistolas Gregorii eiusque sociorum et quae in monasteriis memoriae tradita sint.

Sententiae et rationes Gregorii VII quae fuerint, quantumque ille valuerit et auctoritate et opibus, quaque ratione adiutus sit ab episcopis et principibus et Italiae et Germaniae quum cognoscere velis, lectis Bernoldi chronicis satis te eruditum fore persuasum habeo. In Bernoldo enim tota natura atque ingenium factionis Gregorianae accuratissime perspicitur, quod eo minus mirandum est, quod semper et ubique cum hominibus papae eiusque rerum studiosissimis versaretur. Atque omnino sententiae illorum adeo eius propriae fuerunt, ut in succum et sanguinem, ut ita dicam, transiisse videantur.

Quae deinceps in chronicis continentur, haec potissimum ad res in Italia et in Suevia gestas pertinent; quibus in enarrandis et describendis, si spectas ad locum vel tempus, tam accuratus est, ut omnino ei fides sit habenda. Atque ita chronica Bernoldi supplementum quasi sunt librorum Adami Bremensis, qui de rebus in Germania septentrionali gestis maiori scientia instructus est. Et ut redeam ad Bernoldi chronica recensenda, ille quibus est

mentis angustiis et iudiciis, ut quanti momenti sit controversia illa ingens non perspicit, ita narratione ad rem ipsius partis composita multa depravat et deformat. Nam ut omittam quod de concilio Basileae habito et Alexandri electione ad a. 1061 commemorat, id afferam, quod de Matilda et Welfo eorumque matrimonio tradidit. Quod quum non tam amoris vinculo quam callidis papae consiliis initum fuisse constet, Bernoldus tamen Matildam, licet omnis ei res nota sit, dedita opera „carissimam“ semper coniugem Welfi ducis dicit. Praeterea Rudolfum et Herimannum, quippe quum essent propugnatores S. Petri, Henricum regem et consilio et potentia semper superasse fingit, quamquam rem longe aliter se habere ex ipsius saepe narratione apparet.

Sed quid plura afferam? Ipse Bernoldus ad a. 1086 tradidit, se scripsisse ad laudem et gloriam dei, quod idem est ac si dixisset „ad papam laudandum et defendendum.“ Quam ob rem episcopi virtute et sapientia clarissimi, sicuti Liemarus Bremensis, Benno Osnabrugensis, qui Henrici partes sectarentur, antichristi vel exepiscopi ab eo nominari solent. Etsi verum est Bernoldum multa mutasse ac deformasse, tamen non est infitiandum, ea facile cognosci posse, quum vel chronica ipsa accuratius legeris vel ceteros eius aetatis scriptores adhibueris.

Cum Bernoldo comparari potest Bruno, (de bello Sax.) eo quidem discrimine adhibito, quod is Saxonica rebellione nimis laudata, papam eorum socium esse fingit, ille contra per Gregorium omnia geri atque institui clarissime exponit.

Bernoldum in rebus depingendis et describendis magnum esse scriptorem minime probabis; certe quidem hac ratione longe superari eum puto a Lamberto Hersfeldensi, qui etsi multum abest a ferventissimo illo ardore Brunonis et Bernoldi, tamen magis partes Gregorii quam Henrici sequi videtur. Et Bernoldi et Lamberti est nota

illa ad a. 1054: „Huic subdiaconus toxicum — a demonio liberaretur“. Quam notam inter se invicem illos non mutuatos sed ex eodem vel simili fonte profectam esse eam existimo. Tum Bernoldum, si spectas ad artem scribendi, multo vinci videbis ab eo, qui vitam Henrici IV conscripsit; cui quamvis summo erga imperatorem infelicissimum amore ac pietate ardeat, omni tamen ratione fides non habenda est.

XI.

Quemadmodum eius temporis scriptores, ita etiam nostri partim Gregorium partim Henricum nimis laudare solent. In primis nominandi sunt Floto et Gfroerer, quorum alter de Henrico non sine ira ac studio iudicat. Non ita Stenzelius et Giesebrechtius. Atque ego etsi Flotonem in laudando Henrico rege sequi nolo, tamen Gfroererum, qui inprimis Bernoldi chronica ad id, quod vult, demonstrandum adhibet, reprehendendum esse existimo. Sed longum est enumerare omnia, quae a Gfroerero falsa et nimis accurata interpretatione depravata sunt. Hoc unum afferam, quod Gfroerer liberos Bonifacii et Beatricis ab Henrico III interfectos esse narrat. Quae ad hoc demonstrandum de matrimoniis quibusdam inter liberos imperatoris et Bonifacii ineundis a Gfroerero afferuntur, a Willio (Anfänge der Restauration der Kirche im 11. Jahrh.) satis refutata sunt. Item Giesebrechtius (II p. 639) liberos illos imperatoris auxilio necatos esse ex fontibus elici non posse exponit. At Gfroerer etsi eosdem, quos hi, fontes, Lambertum et Bernoldum adhibet, aliud atque illi iudicium profert. Habet enim de iis, quae a Lamberto ad a. 1056 de visione quadem cancellarii imperatoris traduntur, haec fere verba: (VI p. 780) „Nach dem Tode des Kaisers schaute Günther den Herrn. Sein Schwert war in die

Scheide gesteckt und er sprach zu den Umstehenden. Ein Feuer meines Zornes ist angezündet, das ewig brennen wird.“ Post haec Gfroerer ita fere pergit: „Lambert will sagen, die Seele des Kaisers sei an den Ort gefahren, wo das Feuer nichl erlischt, der Wurm fortnagt und wo derjenige gebietet, den das Volk den Schwarzen nenne. — Genau genommen spricht Berthold, Hermanns Schüler, dieselbe Ansicht aus wie Lambert, nur in klerikaler Weise. Nachdem er die Busse geschildert hat, welche der Kaiser in den letzten Stunden gethan, fährt er also fort: „so starb Heinrich III., alle seine Hoffnung auf Gott setzend. Ach möge dieselbe nicht zu Schanden werden.“ Berthold deutet mit letztern Worten an, wie sehr er zweifle, ob der Verstorbene beim ewigen Richter Gnade finden werde.“ — „Wenn auch Lambert ihn in seiner Klosterchronik einen frommen und ehrenfesten Herrn nennt, so ist dies nicht so zu nehmen, dort handelt er nach der evangelischen Regel, „richtet nicht, auf dass ihr nicht gerichtet werdet“, als Geschichtschreiber aber fasst er die Wahrheit ins Auge; hier gilt der Grundsatz: „fiat iustitia, pereat mundus.“

Quod Gfroererum ex his obscuris Lamberti verbis coniecisse quamvis admirationem nostram quam maxime excitet, minime tamen intelligi potest, cum ad illud comprobandum ipsum Bernoldum adhibuisse testem propter verba „o utinam feliciter“. (chr. 1056.)

Ac primum, sensu illo a Gfroerero his verbis supposito, Bernoldus, quum Henricum III, quoniam omnibus ignoverit omniaque iniuste acquisita restituerit, hominem quasi sanctum et religiossimum mortuum esse narret, sibi ipse nullo modo constat.

Deinde ex mea quidem sententia interiectio illa: „o utinam feliciter“, quum et aliis locis sic statuendum sit, non ad „spem ponens“, sed ad „obiit“ referenda est. Quod ex ea re magis perspicuum fit, quod Bernoldus non

solum de morte Henrici III, sed etiam de aliis iisdemque religiosissimis hominibus huiusmodi verba facit. Et ut afferam exempla; de Hezelino, episcopo Hildesheimensi sic scribit: (Chron. 1079. Uss. II 108) „ex hac lacrimarum valle, o utinam gratulanter, emigravit ad dominum. Deinde ubi de Adelheida, (chr. 1079. Uss. II 101) Rudolfi regis uxore, cuius spes omnis in deo posita erat, narrat, iisdem ille verbis utitur. Idem dicit de Bertoldo duce (chron. 1078. Uss, II 89) et de Annone, archiepiscopo Coloniensi, (chr. 1075. Uss. II p. 25) qui summis laudibus ab eo ornantur. Ac — mirum sane — Gfroerer in tractanda Annonis vita verborum „o utinam feliciter“ rationem habuit nullam. Quare perspicuum est, Bernoldum de Henrico III longe aliter sentire ac Gfroererum, qui Bernoldum testem afferat.

Nuperrime, quum hoc specimen iam confecissem, Giesebrechtius (Geschichte der deutschen Kaiserzeit III. 1004—1009) quae de Bertoldo et Bernoldo cogitat, in lucem edidit, quare restat, ut sententiarum huius viri in rebus historicis sagacissimi rationem habeam. Qui quum duo tantum chronica statuat, alterum Bernoldo alterum Bertoldo tribuit; itaque quae diversitas inter nos intercedit, ea inde orta est quod ille duos auctores et duo tantum chronica exstare contendit, equidem contra tria chronica statui, quorum duo a Bernoldo originem ducere demonstravi. In ceteris vero rebus Giesebrechtius mecum plane consentit. Quod Giesebrechtius chronicon, quod dicitur Bertoldi, in monasterio St. Blasii, quippe quum auctor accuratissimam eius monasterii scientiam prae se ferat, sine dubio confectum esse ait, res longe alia est, quum Bernoldum auctorem habeamus. Denique ille optimo iure contendit, quae in synodo V. Non. Mart. a. 1078 Romae habita acta sint, ea falso in annum 1079 esse translata. Hanc rem, quum qui chronicorum auctores essent statuere vellem, a proposito meo remotam itaque negligendam esse putavi.

VITA.

Natus sum Hubertus Eugenius Schulzen Büllingae, in pago prope Malmundurium oppidum sito a. h. s. XLIII a. d. IX Kal. Febr. patre Antonio, matre Elisabetha, e gente Reuter, quos iam abhinc multos annos morte mihi ereptos esse magnopere doleo. Fidei addictus sum catholicae. Quatuordecim annos natus gymnasium adii Monasterii Eifliae, quod viro illustrissimo Guilelmo Bogen viget atque floret. Auctumno anni LXIV maturitatis testimonio instructus, quum studiis historicis et philologicis operam dare statuerem academiae Monasterii Guestphalorum civibus ascriptus post tres semestres Bonnam me contuli. Per tres annos audivi docentes hos viros: Stoecl, Nihues, Heis, Cappenberg, Rospatt, Winiewski, Stork, Monasterienses, Kampschulte, de Sybel, Iahn, Schaefer, Diez, Simrock, Springer, Heimsoeth, Bonnenses, quibus omnibus de me bene meritis gratias ago quas debeo maximas. Praeter ceteros autem mihi nominandi sunt, Guilelmus Kampschulte, Arnoldus Schaefer, Henricus de Sybel, qui me per tres semestres in seminario historico docentes historiae amorem mihi impertiverunt.

THESES.

I. Henricus III a Gfroerer nimis vituperatur.

II. Einhardi uxor Imma non fuit Caroli Magni imperatoris filia.

III. C. Marius, post Cimbros et Teutones victos si ad rempublicam non accessisset, de patria optime meruisset.

IV. Carolo Magno anno 800 coronato imperium non renovatum sed translatum est.

V. Probo Ciceronis illud: „Legis servi sumus ut liberi esse possimus".

VI. In Sophoclis Electra v. 1336 pro *ἀπλῄστου* lego *ἀπαύστου*.